



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 44. Cardinalis Peytii fatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

nalatus dignitatem evehebatur, nec minus variis temporibus plures Episcopatus Nebiensem in Corsica, Naulentem in Liguria, Jacensem, Oscensem, & Tarraconensem, seu ut alii legunt, Tarraconensem in Hispania gubernavit. Ceterum Hieronymus singularis sui erga Papam studii sæpius luculenta edebat specimina, præcipue autem Anno a Nativitate Dominica millesimo quingentesimo quadragesimo septimo id egit in Fliscorum conjuratione, ubi hic Cardinalis pro Cognati sui defensione manifesto periculo vitam suam exposuerat: porro cum ad grave senium dies suos perduceret, pluribus interfuit comitiis, in quibus Paulus III. Julius III. Marcellus II. & Paulus IV. fuere electi: tandem vero Hieronymus die vigesima quinta Martii circa annum Domini millesimum quingentesimum quinquagesimum octavum mortuus, & sepultus est in Ecclesia Sanctæ Mariæ de Cella, cui Fratres Eremitæ D. Augustini præfunt, illisque multa legasse dicitur. Scriptorum nonnulli ejus obitum ad Mensem Majum rejiciunt.

## §. XLIV.

*Cardinalis Peyti fatum.*

Inter Cardinales hoc anno mortuos quartus numeratur Guilielmus, seu Petrus

Sæcul. XVI.  
A.C. 1558.

Ciac. p. 865.  
Goduin. de  
Eptfc. Angl.



Sæcul. XVI. Petrus Peytous, vel Peytus, cujus jam  
A C. 1558. supra meminimus. Is natione Anglus,  
 ab ineunte ætate Francisci Ordinem de  
 strictiori Observantia ingressus celebris  
 Verbi Divini Præco audiebat: ast re-  
 gno exulare ab Henrico VIII. Angliæ  
 Rege compulsus Romam venit, ibidem-  
 que Cardinalis Caraffæ, qui postea Pau-  
 lus IV. nominatus in Papam eligeba-  
 tur, benevolentiam adeo dextere sibi  
 conciliabat, ut ab eodem sub Mariæ re-  
 gimine in Angliam decerneretur, vices  
 suppleturus Reginaldi Poli Cardinalis,  
 quem Pontifex a sua Legatione amove-  
 rat: priusquam vero Peytus Roma di-  
 scedebat, ab eodem Papa Sarisberien-  
 sis Episcopus, ac postea Anno Domini mil-  
 lesimo quingentesimo quinquagesimo  
 septimo, ut Purpura decoratus cum  
 majori honore datam Legati dignitatem  
 sustineret, Cardinalis creatus est: attamen  
 Regina, cum Polum revocari haud  
 pateretur, datis ad Peytum literis ei-  
 dem prohibuit, ne in ejus Aula compa-  
 reret, quapropter Cantuariæ subsiste-  
 re coactus hoc Anno Mense Aprili  
 extremum vitæ diem clausit, ibidem-  
 que sepultus est, quin Episcopatus Sa-  
 risberien-  
 sis possessionem acciperet, eo-  
 quod eidem quamplurimi vehementer  
 oblucentur.